DE CADAVERIBVS PVNITORVM, ABSQVE PERMISSV PRINCIPIS non sepeliendis, aut immunitate Ecclesiastica defendendis.

PETRVS Sanctius furti accusatus, conuictus, & damnatus fuit, vinctus, vectus, cum elogio traductus infelici arbore suspensus finijt: ea nocte cadauer ab amicis, cognatisvè, vt suspicatur, depositum ad Sancti Pauli portam, qua versus descenditur, imis gradibus, derelinquitur: rè compertâ, Illustrissimo Præsidi nunciatâ, ex Senatusconsulto lictoribus iniunxit; vt iacens corpus ad patibulum ducendum, & reducendum curaret, quod sine mora præstitere. Cæterum, Curio Sancti Pauli, qui extractioné cadaueris, iure medio exequentibus; restiterat, Illustrissimum D. Archiepiscopum, de illius exportatione certiorauit: qui, violatam Ecclesiæ immunitatem conqueritur; extrahentes, & mandantes censuris commonet ad prædicti cadaueris restitutionem: sin alias censuissent, arbitro pro se electo, ad iurisdictionis cótentionem prouocauit: quibus D. Assessor à censuris appellans Fisci Patronum arbitrum nominat, vt moris est, Regiam iurisdictionem pro iure defensurum. Hęc litis imago.

Pro iurisdictione Ecclesiæ constituebatur regula Legum, Canonum, & Fororum; quibus generatim constat, confugientes ad sacra loca, ab illis nequaquá abduci, aut extrahi temerè, vt loci reuerentiâ, & intercessione, ceu in ara salutis defendantur, *sic Theodos. in l. 3. 5. cum alijs, C. de ijs, qui ad Ecclesias confug. C. sicut antiquitus, cap. reũ, cap. si quis contumax 17. q. 4. cap. inter alia de immun. Eccles. For. vni. & obseru. de ijs, qui ad Eccles. confug.* cumque miseri huius cadauer in sacro esset, remoueri minime potuisset.

Deinde vrget capitis iudicio damnatum, si vel ipse in Ecclesiam confugerit, eiusdem immunitate gaudere; eamque communem sententiam firmat: *Decian. tract. crimin. lib. 6. cap. 28. nu. 29.* quem casum in adulteratorem monetæ, fracto fune è furca cadentem, à Clericis, & Monachis circumsistentibus exceptum, & Satellitio ereptũ, ac in viciniorem Ecclesiam conductum, extédunt. *Guterius practicarũ quæst. lib. 3. quæst. 4. Farinac. de immunitate, num. 197.* quibus quoque fauet *P. Diana p. 9. tract. 8. resol. 45.* vbi captum carceris viam insequẽtem ope cognatorum arreptum, & in Ecclesiam traductum sacram eminentissimorum pur-

puram immunem pronunciasse, locique veneratione defendendum testatur.

Huic etiam sententiæ suffragatur, pœnitentibus fidelibus Eucharistiā nōn denegari, & si atrocissima commiserint, *cap. 2. de furtis, cap. super eo de hæreticis in 6. Clem.* 1 *de pœnitentijs, & remiss.* vbi notat *Glos. Vitalin.* & alij. Constat vero, eisdem non minus cōcedi sepulturam, etsi pro suis sceleribus puniantur, *cap. quæsitum 13. quæst. 2.* contraria consuetudine reprobatā ex *Petro de Rauenna*, & alijs conductis per *Couarr. 2. var. cap. 1.* circa finem: ergo inhibitum videtur laico Præsidi, quidquam circa quietem cadaueris inhumati præsumere, *cap. fin. de rebus Ecclesiæ*, quemadmodum, & in sacra pagina, suspensi cadente die deponebantur è cruce, & sepulturæ mandabantur, *cap. 21. Deuteronomij*, vbi notant *Abulensis Lorinus*, & alij interpretes. Quid ergo est, vt durius statuatur in miseri huius reliquias? An hæc immanitas? An immunitas?

His pro pietatis, & religionis asylo pij, & religiosi viri subscripserunt; quorū tamen authoritas non vsque adeo fuit est valitura momento, vt, aut rationem vincat, aut legem, quæ Fisci causam absque dubio commendat: iacienda tamen sunt operi fundamenta, & rem ab ordine sumimã *Papinianus lib. 1. definitionū, in l. 1. ff. de legibus*. Postquam, legem virorum prudentum commune præceptum esse docet, addit quoque delictorum sponte, vel ignorantiā cōtractorum esse coercitionem; sed *Martianus in l. 2. eo. tit.* non tam virorum inuentum fuisse condocet, quam inuentum, ac munus Deorum: vnde summæ, & Stoicæ sapientiæ Philosophus Chrysippus, quem, & ipse Martianus post Demosthenem collaudat, vt legem definit: *Lex est omnium diuinarum, & humanarum rerum regina: opportet autem eam, & Præsidem, & bonis, & malis, & Principem, & Ducem, &c.*

Quod si malis *Præsidet*, cōgruit bono, & graui Præsidi, curare, vt pacata, atque quieta Prouincia sit, quam regit: quod non difficile obtinebit: *Si solicitè agat, vt malis hominibus Prouincia careat, eosque conquirat, nam, & sacrilegos, latrones, plagiarios, fures conquirere deberet, & prout quisque deliquerit, in eum animaduertere.* Verba sunt *Vlpiani in l. Congruit 13. de offic. Præsid.* vnde, & *Gaius I. C.* iure etiam statuit, pœnas ob maleficia solui magnam rationē habere: *l. Si à reo 70. § fin. de fideiusso.* nec vero tam suadere, quam exposcere, ait *Paulus*; nam in *l. licitatio 9. § quod, & illicitè ff. de publicanis, & vectigalibus*, ita inquit: *Disciplinæ publicæ vigorem exposcere, vt illicitè facta cōpetenti supplicio vindicentur.*

Nec tantum ciuilibus institutis commonemur ad animaduertendum in facinorosos homines, sed, & Sanctorum quoque Patrū authoramentis coniunctis iurinā, vt pulchrè *D. Augustinus epistol. ad Macedonium 54.* scribit: *Non frustra sunt instituta potestas Regis, & cognitoris ius, vngulæ carnificis, arma militis, disciplina dominantis, seueritas etiam boni patris: habent omnia ista modos suos, causas, rationes, vtilitates: hæc cum timentur, & mali coercentur, & quietius inter malos viuunt boni.* Indeque *D. Hieronymus super Ioelem ad cap. 2. Nō solum*, ait, *homines ministri sunt, & vltores iræ Dei in his, qui*

qui malum operantur (*vnde non sine causa gladium portant*) *sed etiã contrariæ fortitudinei, quæ appellantur furor, & ira Dei*: & *super Esaiam ad caput 13. Non est crudelis, qui crudeles iugulat; sed crudelis idem vocatur, quod crudelis patienti dicitur esse videtur; nam, & latro suspensus patibulo, crudelem Iudicem putat*. Quibus, & alia adiungi possent in *Gratiani decreto*. 23. *quæst*. 5.

Ex his consequenter *Vlpianus* admonet, Regibus, & Magistratibus concessum esse merum imperium, & gladij potestatẽ ad animaduertendum facinorosos homines, *l*. 3. *ff. de iurisdictione*, quo loco frustra gladius accipitur pro materiali gladio, quin imo quamcumque grauiorẽ coercitionem, pœnamque, qua ex delicto reus plecti potest, videtur denotare; nam, & *Lampridius in Alexandro*, *honores iuris gladij nunquam vendi passus est*. Gladius itaq; index, & vindex iustitię, insigne superioris potestatis, cum nostris apte docet *Illigerus lib*. 17. *com. cap*. 8. *litt*. PP. Ad eam quoque rem Aragonię legibus sancitum est, Serenissimo Regi, eiusque Magistratibus gladij potestatem competere, vt obseruat *Glossula ad Forum, Item del mero Imperio, tit. de priuileg. generali*, & prosequuntur *Ludouic. Martinez de Prorege, num*. 214. *Ramirez* §. 19. *num*. 17. *tract. de lege Regia, Michael Pastor in dicto Foro*. Et in hunc sensum accipiendus est gloriosissimus Rex Iacobus Primus, *For. vni. de iurisdictio. omnium iudicum*, ibi: *Quoniam iustitiæ, aut extemæ corporũ, aut membrorum specialiter sunt, & expectant ad Dominum Regem, & ad suos Baiulos*, videndus idem *Ramirez* §. 25. *num*. 51. & §. 34. *num*. 23.

Quid autem *extemæ* nomine comprehendatur ex vocis significatione petendum est: & quamuis Forus iste sit primę compilationis, quæ anno 1246. mense Ianuario Vitali Episcopo Oscensi Regni Cancellario per Sacratissimum Principem Iacobum, & amplissimam Aragonum Curiã fuit demandata; ipse tamen Vitalis, qui illius sæculi latini sermonis peritus satis fuit, huius vocis non meminit, nec pragmaticorũ vllus; quem viderim: forsan barbarica ingluuiè, *extema*, pro extrema qualibet parte corporis desumitur, vt significetur, qualis sit pœna debilitati membri, quamque calumniam, tum Gothi, tum Nostri, vocauere: sed, ne sordidũ etymon comprobare videamur, aut Fororum conditoribus impingere quorũ sanctiones venerari fas est, deducendum aptius putarẽ à verbo Græco *EKTEMNO*, quod valet Exseco, castro, aut incido, sic in *Budæi lexico* reperitur; vt sit sensus, pro quacumque corporis parte disecata, aure abscissa, dẽte auulso, &c. mille solidorũ pœna pro calumnia mulctãdum noxium; nam, vt ait eo loci *Vitalis*. *Nullus, cuiuscumque altitudinis existat, absque Regio mandato iustitiam corporalẽ faciat; alias pro vnoquoque membro mille solidos calumniæ nomine Regi pendit*. Habetur *in tit. de iurisdict. omn. iud. apud eũdem*.

Diximus ad Principem, eiusque Magistratus gladij potestatem competere: igitur ex publica disciplina, ius esse Regis videtur de corpore, & mẽbris statuere, & ad damnatorum cadauera imperium protendere, *l*. 1. *de cadauer. punitor*. nam, & hæc quoq; lex est morte punitorum, vt *Cuiacius ad eum tit. ex Cedrino* notabat;

bat;

bat: quamquam verò *Vlpianus* memoret, corpora eorum, qui capite damnātur cognatis olim cōcessa; idque Diuum Augustū obseruasse: de quo videndus *Rutgersius in varijs Iacob. Durantius Cassellius lib. 1. var. cap. 4. P. Pinto Ramirez Spicilegio sacro, tract. 1. cap. 45.* Hodie tamen non aliter sepeliuntur, quam si fuerit petitum, & permissum, & nonnunquā non permittitur, iuxta quæ interpretanda est alia *Vlpiani lex 3. ff. eodem, l. obnoxios 11. C. de relig. & sumpt. funerum.* Cæterum ab eadem lege deducitur Principis, aut Præsidis esse, sepulturam vltimo supplicio affectis permittere; dū enim inquit: *Et nonnunquam non permittitur, maxime maiestatis causa damnatorum*; planè confirmat, in atrocioribus delictis sepulturæ honorem denegari; quod, & ipsum quoque Augustum, qui ob humanæ conditionis memoriam damnatorum cognatis sepulturā alioqui cōcedebat, denegasse, scribit *Suetonius*, sub his verbis. *Nec successum victoriæ moderatus est, sed capite Bruti Romam misso, vt Statuæ Cæsaris submitteretur in splendidissimum quemq; captiuum, non sine verborum contumelia, sæuijt: vt quidē vni sepulturā precanti respondisse dicatur, iam illum in volucrum potestatem fore*; pari ratione, & *Marcellus I. C.* inquit in *l. 35. ff. de religiosis*: *Minime maiores lugendum putauerunt eum, qui ad patriam delendam, & parentes, & liberos interficiendos venerit.* Et verumque casum complexus est *Vlpianus*, dum *in l. liberorum 11. §. non solent 3. ff de his, qui notantur infamia*, inquit. *Non solent autē lugeri, vt Neratius ait; hostes, vel perduellionis damnati, nec suspendiosi, &c.* Qui igitur non lugentur iustâ carent sepultura, & honore; indeque Edictum, quo cauetur, ne corpora defunctorum inquietentur, ad iustè sepultos tantum pertinere, scribit *Martianus l. 39. de religio. Diui fratres edicto admonuerunt, ne iusta sepulturæ traditum, id est terra conditum corpus inquietetur*, atq; in Gemonias scalas abiectos dānatos, vnco in Tyberim tractos, indicat *Suetom. in Tiberio*, huius interdicti memor, *cap. 61. Interdictum*, ait, *ne capite damnatos propinqui lugerent. Nemo punitorum non in Gemonias abiectus, vncoque tractus*, dabūt alia ex bonis authoribus *P. Faber lib. 2. Semestrium cap. 9. Iustus Lipsius ad Tacitum, 6. Annal.* illic *Quia dānati publicatis bonis sepultura prohibebantur. Iacobus Durantius Cassellius lib. 1. var. cap. 3. D. Ramirez Pentecont. cap. 17.*

Inter infœlicia ista cadauera, latrones, & grassatores viarum adnumerandi sunt, apud *Calistratum in l. capitalium, §. famosos 13. ff. de pænis*, sub illis verbis: *Famosos latrones in his locis, vbi grassati sunt, furca figendos, compluribus placuit, vt, & conspectu deterreantur alij ab eisdem facinoribus, & solatio sit cognatis, & affinibus interemptorum eodem loco pæna reddita.* Prouida legis Sanctio, & ad casum litis aptissima particulatim que à nobis ideo examinanda, & exponenda: nam viri docti, iuris, & moris antiqui, hic crucem figūnt, qua sua torquent ingenia, non furcam, sed crucem grassatoribus, his Calistratum designasse opinātur adducunt *Pauli*, locum *lib. 5. sentent. cap. 23.* vbi de seditiosis: *In honestiores*, ait, *pæna capitis vindicari placuit, humiliores vero in crucē tolluntur, aut bestijs subijciuntur.* Quam crucem in furcam commutasse, *Tribonianum*, docēt in *l. Si quis aliquid, §. 2. de pænis*,

illic.

illic: *Authores seditionis, & tumultus populo concitato pro qualitate dignitatis, aut in furcam tolluntur, aut bestijs subyciuntur, aut in insulam deportantur*; quin, & latronibus crucem paratissimam *Petronij*, & *Apulei*, testimonia euincũt, ille enim *cap. 71. Satyricon*, ita inquit, *Imperator Prouinciæ iussit latrones crucibus affigi*, hic vero *lib. 3. de asino*: *Latronem istum miserorum pignorum meorum interẽptorum cruci affigatis*. Constãtinus vero, qui venerandæ crucis apparitione Maxentium Tyranum prosternauit; vetuit edicto crucis supplicium; inde posteriori sæculo in crucis honorẽ furca probro fuit, illamque in I. C. responsis Tribonianum reliquisse autumant, vt cum *D. Augustini, Casiodori, Nicephori, & Sozomeni*, authoritatibus subscribunt *Contius lect. subseci. lib. 1. cap. 13. Cuiacius l. 16. obseru. 1. & 5. senten. Pauli tit. 17. P. Faber. 2. Semestriũ, cap. 7. Lipsius de Cruce, lib. 1. cap. 13. & lib. 3. cap. 13. & 15.* nec improbãt *P. Magallanius in Iosue, cap. 8. sect. 1. annot. 5. n. 16.* Eruditissimus Dominus *Don Ioannes de Solorzano*, natus Musis, & altus *emble. 73.*

Enim vero ne *Lipsij* modestiam taxẽ seuerus est in Callistratum illũ, & *inconspectè, & ineptè*, loquutũ inquit, ac ita velicat: *Quid ad furcam nouam homines figuntur? Certum est adstringi*. Argumẽtum vero *Lipsij* argutum, sed ad Cõsulti mentẽ inconspectum, cũ enim de famosis latronibus itinera grasantibus delicti loco puniendis sermonem fecerit, certum est ibidem furcas esse figendas, non pro more extra portas, aut in celeberrimis Ciuitatis locis, sic rectè furca figũtur, cæteri in I. ctorum responsis damnantur, subijciuntur, vel suspenduntur; minutula hæc, sed quæ Grammaticis non relinquo cum *D. Larreategui, selectarũ Iuris interpr. lib. 8. cap. 9. circa fin.*

Nec minus aptè furca apud Cõsultũ; nam ferẽdum non videtur nostrum Tribonianum, sic plura authorũ iuris loca temerasse, pro cruce furcam reponentem; vt in *hac nostra lege Capitalium, l. sacrilegij 6. ff. ad l. Iuli. peculatus, l. moris 9. §. istæ ferè, ff. de pœnis, l. si quis aliquid 38. §. 1. ff. eodem, l. 3. §. is qui ad hostem 10. ff. de re militari*, quæ iura iungit *Brisonius de V. I. vers. Furca*, & in argumentum *Larreategui supra, num. 19.*

Quin immo suspendium quoque latronibus in supplicium cõparatum: meminit *Seneca epist. 7.* illic: *Sed latrocinium fecit. Quid ergo meruit? vt suspendatur*, ex mente *Senecæ*, non in cruce, vt ibi *Lipsius* agnoscit in notis, infœliciter eundem locum maculans, & reponens. *Quid ergo meruit, vt sic perdatur*, at *Virgil. lib. 12. Æneid.* quid aliud monet?

Et nodum informis lethi trabe
nectit ab alta.

Quem locum vltra *Cerdam* venustè, & ad rem nostram explicat ac exornat *P. Andreas Pinto Ramirez Spicilegio Sacro, tract. 1. c. 32. nu. 7.* accedat conciuis noster Consulque Prudentius Sãcti Romani Martyrium, & vivicomburium celebrans.

Etiam retortis brachijs fur-
ca eminùs.
Romanus actus ingerebatur
rogo.

Cæterũ promiscuè vsurpata, hæc supplicij genera furcam, & crucem, vt nihil Triboniano nostro impingatur, plurimis aggestis litterarum ornamentis ad illustrationem Calistrati contulerunt *Couar. lib. 4. var. cap. 1. Card. Baronius in Martyrologio ad diem*

 7. Apri-

7. Aprilis & horũ immemor *Larrea* regni supra cõducũt *Tiraquel. de pœnis temperãdis, causa* 31. *Pinto Ramirez d. cap.* 31.

Sed, aut furca, aut crux fit, ad populum terrendum eleuatur in publicum, non tam ad noxij culpam vindicandã, paulo ante *Paulus in l. si pœna* 20. *ff. de pœnis*, ita inquit: *Pœna constituitur in emendationem hominum*, & *Menander l. omne delictum*, §. 3. *ff. de re militari*, vbi habetur. *Qui in acie prior fugam fecit expectantibus militibus, propter exemplum capite puniendus est. Quintilianus declamat.* 174. *D. Cyprian. serm.* 5. *de Lapsis*, *Seneca lib.* 1. *de clementia*. Magnopere igitur æstimari opportet exemplũ, quod noxios tollit, innocentes alit, totam seruat Rempublicã. De his plura, & pulchra apud *D. Ramirez in Pentecon. cap.* 21. *Lælium Bisciolam horarum subseci. lib.* 1. *cap.* 9. *tomo* 2. *Nauarrete Discurs. Pol.* 38. cum alijs nouissime *D. Ioannes de Solorzano emblem.* 75.

Exempli huius alia est ratio; ne videlicet similes vindictæ priuato velut odio prosequtæ viderẽtur; atque ita omnium conspectus desideratur. *Seneca lib.* 3. *de ira, cap.* 19. *Quid tam inauditum, quam nocturnum supplicium? Cum latrocinium tenebris abscondi soleat animaduersiones quo notiores sunt plus ad exemplum emendationemque proficiunt.* Romanum morem obseruasse Gothos, indicat *l.* 7. *tit.* 4 *lib.* 7. *C. Pith. Iudex quoties occisurus est reum, non in secretis, aut in absconsis locis, sed in cõuentu publicè exerceat disciplinã.* Quibus quoque ad nostros deriuatum video; nam inclytus Rex Iacobus I. fusor, & propagator Aragonici Imperij, ita Alphonsum generum celebratissimum partitæ iuris conditorem admonebat. *Otro Consejo fue: Que no mãdasse hazer justicia de ninguna persona escondidamente, porque era muy ageno de Principe, y se desautorizaua; mostrando no tener vigor para executarla; dende era menester.* Memorat consilium, & euentum *Surita noster lib.* 3. *Annal. cap.* 75. Prudentissimi Regis oraculũ Foris, & Legibus intextum iacet in *Foro*; nẽpe, *muy conueniente, tit. de Iudicijs*, ibi: *E sentencias en causas criminales se den, è execut en publicamente en lugares publicos, è de dia, è no de noche. For. Fin. de officio Cancellarij*; Alphonsus quoq; ita decreuit, *l.* 5 *tit.* 17. *part.* 3. ibi: *De dia concegeramẽt ante los hommes, è non de noche a furto.* Vi. *P. Faber.* 2. *semest. cap.* 9. *Guillelmus Benedictus cap. Raynutius, verb. Mortuo*, 2. *num.* 168. *& in quæst. fin. num.* 44. *Hortensius Caualcanus de brachio Regio, par.* 4. *num.* 318. *Sebastianus Guazinus de reor. defens. defens.* 37. *cap.* 5. *& cum Saauedra, Solorz. d. emble.* 75. ex nostris *Villar de innata fid. Regni Aragonum*, §. 4. *fol.* 175. *Ramirez de lege Regia*, §. 25. *num.* 35.

Redduntur quoque pœnæ in solatium cognatorum, & affiniũ, vt ait noster Consultus; nam, & hi iustum dolorem exequẽtes, de optata vltione gaudebunt, *Lib. tamen* 11. *de accusati. l.* 2. *de lib. caus.* Humanamque vltionis huius cupidinẽ solatij, etiam nomine cõpellat, *Sidonius lib.* 1. *epist.* 8. Lampridij sui tristem casum describens. *Sequta quidem vltio est extinctum, sed magis profutura victuris; nam quoties homicida punitur non est remedium, sed solatium vindicari.* Accedit *Seneca de clement. lib.* 1. *cap.* 21. *Vltio duas res præstare solet; aut solatium adfert ei, qui accepit iniuriam: aut in reliqum

qum securitatem. Quibus alia selectissimorum testimonia adiungere, non tam difficilior, sed interim longum, videndi signatis locis *Guilielmus Fonerius in Cassiodorum I. Sauarus in Sidonium, Ludo. de la Cerda ad Tertullianum, lib. 8. de patientia cap. 10. nota. 184. Iacobus Boulenq. ad l. capitalium, §. famosos, num. 52.*

Ad eandem vindictæ persequtionem attinent extrema textus verba, cum enim Consultus, ideo furcæ meminisset, vt noxij pœnas in exemplum ac solatium darent, subiunxit apte, *eodem loco pœna reddita.* Quod cũ iudicio prouida decreuit antiquitas, vt criminis immanitas pœnæ seueritate, & raritate pensaretur: enim vero mos is exsoluendi delicta præter morem fuit; nam fræquẽtius iuxta vias in Sextertio, & Esquilina portâ (is vindictæ publicæ in vrbe solemnis locus) *Petrus Faber 2. semestr. 9. Lipsius ad Tacitum, vers. Raptus in locum seruilibus pœnis sepositũ, pag. 479. in paruis, D. Laurentius* Ramirez *Pentecon. cap. 17.* At nescio, quid acerbitatis, & animaduersionis habet, ipsum quoque locum sceleris esse, & supplicij testem. Sic Antiochus de Menelao vindictam sumpsit, *lib. 2. cap.* 13. Machabæorum, *sed Rex Regum*, ait sacer textus: *Suscitauit animos Anthiochi in peccatorem; & suggerente Lysia, hunc esse causam omnium malorum, iussit (vt eis est consuetudo) appræhensum in eodem loco necari, &c.* Eundem morem tenuisse Persas indicat, *Curtius in Alexandro lib. 7. cap.* 13. Dum Boesum ob Darij necem pœnas soluentem memorat, *vt eo in loco, quo Darium ipse occiderat, necaretur*: vbi conferendus est *Raderus in notis ad eundẽ*: quin & locus ipse infaustus quodammodo, & ominosus reddebatur. *Si quis defixisset crucem in campo Martio*, ait, *Tullius tam ominosus postea fiebat locus, vt nec illàc transire liceret, donec expiatus fuisset*, nec secius quam damnatum illũ Arabiæ scopelismum apud Consultum in *l. sunt quędam de extra. criminib.* cuius ad rem meminit *Mornacius in Comment. ad l. obnoxios, C. de religiosis.*

Vidimus latrones in furcam actos. Sed insistendum adhuc in Callistrati responso, dum huiusmodi grassatores non tantum vltimo supplicio addicendos proponit in exemplum, & solatium, sed, & ibi figendos ad infamiam, & memoriam. Crucis nãque, aut furcæ vile, & seruile supplicium, *Lactant. diuinarum inst. lib. 4. cap. 29. Cur si Deus fuit*, inquit *& mori voluit non saltim aliquo honesto genere mortis affectus est? Cur potissimũ cruce? Cur infami genere supplicij, quod etiam homine libero, quamuis nocente, videatur indignum? &c.* Nata igitur, & data latronibus furca, sic, vt ab illis nomen, & famã conduxerit, id quod facete, *Ouenus* expressit lepido Epigrammate 67. *lib. 1. ad Henricum.*

Latronum finis funis, inquit, *mors vltima merces;*
Furca capit fures: hinc puta nomen habet.
At multi euassere; dabit Deus his quoque funem.
Rarus funesto fur, sine fune perit

Confert *And. Kiniquen de iu. territorij, cap. 3. num. 416. Lypsius lib. 1. de cruce, cap. 2. & 12. Marcellus Donatus elucid. in Tacitum. lib. 4. Anna. vers. Asiaticus enim is libertus, &c. Couarr. lib. 4. variar. cap. 5. vers. Laquei vero; P. Magallanius in Iosuè cap. 8. sect. 1. annot. 5.*

Manent autem in memoriam

pœ-

pœnæ; nam, & pœna post mortem manet, *l.2.ff. de cadaue. punitorum*, & vt apte *Seneca de ira, lib. 1. cap. 6. vt documētum omnium sit.* Hinc custodes. *Petronius cap. 71. Satyricon. Proxima ergo nocte*, inquit, *cum miles, qui cruces seruabat, ne quis ad sepulturam corpora detraheret, &c.* Milites etiam in Seruatoris nostri custodia *D. Matthæ. cap. 27. Iesus autem cum rursus clamasset voce magna emisit spiritum.* Et pergit. *Centurio vero, & qui cum eo erant seruantes Iesum, viso terræmotu, & his, quæ facta fuerunt, timuerunt vehementer dicentes Vere Filius Dei erat iste.* De his militibus, & custodia videndus *Petrus Gregor. part. 3. syntag. lib. 31. cap. 38. & lib. 31. cap. 27. nu. 9. Baronius tom. 1. Annal. fol. 167. Pinto Ramirez*, horum immemor, *tract. 1. cap. 45.* & cum *Fabro, Lypsio, Talentonio, Gretsero, Fornerio, & Baeza, interpretes Petronij d. cap. 71. Abulens. cap. 10. Iosuē, q. 94. vers. Cum tamē, P. Magallanius in cap. 8. Iosue, Annota. 6.*

Infit ex dictis, condemnatum patibulo pendētem, sub custodiâ esse, & in suum dedecus, & aliorum exemplum manere ad pœnam, ceu victimam, quæ potestati, & imperio legis, & Regis subijcitur; indeque eripientem condēnatum ex familiæ manibus, Maiestatis pœnam mereri, docuit *lex 4. ff. ad l. Iuli. Maiestatis*, vbi inter casus Maiestatis, & ille quoque refertur. *Item, qui confessum in iudicio reū, & propter hoc in vincula coniectum emisserit. Bartolus num. 3. Guido Pap. decis. 579. Farinacius de carceribus, quæst. 30. num. 101. vers. Amplia secundo, & quæst. 32. n. 2.* Est namque in protectione Principis, *Portoles q. 7. ad For. comp. nu. 7.* Quę tamen sententia temperāda est, & restringēda ad eum casum, quo capitale esset crimen, cuius causâ, quis inter reos est, vt re discussa cum *Claro, & Farinacio*, constituit *Cauallus resolu. 8. Papon. l. 23. Arrest. tit. 3.*

Hoc capitis suppliciū præsentiebat miles ille apud *Petroniū, d. c. 72. Satyricon*, qui desertæ excubię reus desertam, quoque crucē respexerat, illic: *At miles circunspectus dum residet, vt postero die vidit vnam sine cadavere crucem, veritus supplicium, mulieri, quid accidisset, exponit, nec se expectaturū Iudicis sententiā, sed gladio ius dicturū ignauiæ suæ, &c.* Narratur à *Plutarcho*, mulierculam, quod amasij damnati corpus tetigisset, & sepelire destinasset, delatam à custodibus, in discrimen vitæ incidisse, nisi quod Mithridates, quod amore, non legibus violandis eo audaciæ prorupisset, periculo liberarit. Iure igitur *Petrus Ærodius lib. 9. rerum iudicatarū, tit. 15. cap. 1.* Postquam pœnam in morte manere ex Martiano retulit, nec deportati ossa transferre, nec damnati corpus sepelire, nisi fuerit petitum, & permissum, addit, insuper, *& si è furca, aut patibulo quis, vi, aut clam exemerit, crucem revulserit Capitale est.*

Adeo vero legum latoribus facinus hoc graue visum fuit, vt violati Imperij, nec Sacerdotes ipsos, aut Cœnobitas, si reorū vltimo addictorum supplicio liberationē per vim, atq; vsurpationem attentare præsumpserint, sine pęna reliquerint; nam in *l. 7. C. de Epis. Aud.* ita cauetur. *Addictos supplicio, & pro criminum immanitate damnatos nulli Clericorum, vel Monachorum, eorum, etiam quos synoditas vocāt, per vim, atque vsurpationem vindicare liceat, ac tenere. Sed, & reos ad locum pœnę sub persequtione pergentes nullus te-*

neat

neat, aut defendat; sed sciat, se cognitor triginta librarum auri mulcta, & primates officij capitali esse sententia feriendos, nisi vsurpatio ista vindicetur: At si tanta Clericorum, aut Monachorum audacia est, vt bellum potius quam iudiciũ esse existimetur, ad clemẽtiam nostram cõmissa referantur, vt arbitrio nostro, mox severior vltio procedat. ad Episcoporum sanè culpam, vt cætera redundabit, si quid forte in ea parte regionis, in qua ipsi populos Christianæ Religionis doctrinæ insinuatione moderantur, ex his, quæ fieri hac lege prohibuimus à Monachis perpetratum esse cognouerint, nec vindicauerint, &c. iungo Cuj. in paratit. Gotofr. Seb. Neu. Morn. ibi, Guido, & asseclas decis. 121. Robert. rer. iud. lib. 1. cap. 6. pag. 91.

His de regali iure, & imperio eiusque effectibus ad planiorem nostræ dissertationis viam adornandam conductis, iam ad argumenta, quibus Fisci causa fulcitur, progrediamur: ac primũ obseruo moribus nostris fures, si, vt pragmatici nostri loquũtur, furtum magnum, siue vi, sanguine, alijsvè qualitatibus admissũ perpetrasse constiterit; vltimo illos supplicio adfici ius esse, ceu famosos, & grassatores, ex doctrina Baldi in Auth. sed nouo iure, C. de seru. fug. quã in Hispania seruari firmat Diaz in praxi can. c. 84. nu. 2. In Cathalonia Peguera dec. 27. nu. 7. In Gallia Langleus lib. 8. otij sem. cap. 3. vbi Bern. Autumnus, Arrestũ recitat. In Polonia, & Lituania P. Roiz à Moros Alcagniciẽsis decis. 3. n. 395. & eã quoq; amplectitur Cauallus resol. crimi. 18. nu. 6. transcribens illud D. Couarru. Quod in tanta hominum audacia omnes aliæ pœnæ præter capitales irridentur, &c. Eamque priscis temporibus inualuisse, docet Seruius ad illud Maronis lib. 8. At furis Caci mẽs effera, aitque, Capitale enim apud maiores fuerat ante pœnã quadrupli. Atheniensium nempe legibus Gellius lib. 11. cap. 18. Samuel Petit in ll. Atti. lib. 7. tit. 5. de furtis. Quidquid iuris sit And. Faquinæus lib. 1. cons. 99. P. Molina tomo 2 de iustitia, disp. 695. Gaspar Anto. Thesau. lib. 1. quæst. 80. Forens. Mario Muta decis. 48. Farinac. quæst. 167. de furtis, P. Pithæus in collat. legum Mosaycarum, tit. 7. in notis, Larreategui select. lib. 8. cap. 9.

Inde, cum graue sit habitum apud nostros furti scelus, & pœna quoque pari plectantur fures hi, ac grassatores, famosique latrones, nec immunitate Ecclesiæ potiuntur, quemadmodũ apud Gallos Rãchin ad Guid. decis. 121. & in Castella docet Ant. Gomez var. c. 10. num. 2. & passim, ab Ecclesijs abduci testatur Couar. lib. 2. var. cap. 20. Villadiego in Foro juzgo, lib. 9. tit. 3. l. 1. P. Suarez de Relig. to. 1. lib. 3. cap. 11. n. 4. vbi eandem praxim probat ex beneplacito Ecclesiæ, & in odium delicti receptam, & cõmunẽ praxim Bouad 2. Pol. c. 14. num. 23. post Clarum Paz. Gutierrez, & Farina. qui ex consuetudine firmat, vt Flores de Men. add. ad Gam. de. 171. Marta de iurisd. 2. p. cap. 51. num. 23. Ponte decis. 14. num. 6. I. Sanchez lib. 6. cons. cap. 1. dub. 8. quam praxim admisit Iband. Bardaxi in com. ad For. in rub. de his qui ad Eccles. confu. nu. 9. illis verbis: Tamen Couar. d. cap. si. lib. 2. var. dicit de consuetudine seruari in Castella, quod quicumque fur extrahitur ab Ecclesia: & ita fieri in Aragonia audiui à Consiliarijs de Criminali D. Hieronymo Perez, & alijs in Camera Consilij. Atque consonat liber Consilij criminalis, pag. 40. vbi refert, decisum die 14. mẽsis Nouembris anno 1590.

quium imperij, & potestatis: & in hanc rem expendit rectè *Cutellus de immunit.q. 40.lib. 1.vulg.l. Imperatores,ff. de iu.Fis.*ibi: *Ipse te huic pœnæ subdidisti,&c.*

Pari ratione, & qui alicui seruitio, aut conditioni subijciuntur asylo non tutari,æquum, ac iuridicum videtur, apertus est locus in *dict.l.præsenti*,ibi:*Sane si seruus, aut colonus, aut adscriptitius,siue libertus,& huiusmodi aliqua persona domestica, & conditioni subdita,&c.* Et de misso in exilium *Bald.in Authe.cassa,C. deEpiscop.& Cleric. Decian. lib. 6 tract. crim.cap.26.num.8.Papon.lib 1.tit. 1.Arrest.16.Ioan. à Cruce ad Guidon. decis.* 121. Pulchrè *Ioannes Gallus*, quibusdam rationibus nostro argumento coniungendis in *suis placitis*;*tit. de ijs, qui ad sacras ædes conf.* & inquit:*Per iniquum est asylo excipi eos,quorum scelera suos Auctores in exiliũ abegerint.Est enim aperta quædam legum ac iudiciorũ frustratio,& improbis,ac perditis hominibus abunde magnũ impunitatis argumentũ. Quam ob rem sodalibus apud Turones Martinianis vetuerũt, nequem exilio affectũ, apud se in Asylo haberẽt, postea quam exilij sententiã rescirent,quod si exules asylo excedere detrectarent, eos,& Pontificijs animaduersionibus,& Magistratuũ ciuilium corrogata manu, quam primũ exigerent 5 Kalen.Mar.* 1448. Atque ita iudicatum memorat liber Consilij crimin.in *d.process. comp.iurisd.Michaelis de San Miguel*,14 *Octob.*1618.

Idem statuendum censebam de militibus detrectantibus militiã, & ad Ecclesiam fugientibus, vt punctim *Batza*,quamuis raptim, de inope debitore,*cap.* 16. *nu.*99. *&* 100.quidquod, & sui ipsius mi les furtum facit, *ad l. præsenti*, §. *sane,C.de hijs,qui adEccles.l.*1.vbi *Ias.C.de seru.fugit. Mascar. Freher de infamia,lib.*3.*cap.* 15.*n.* 8.& in refugis,aut transfugis, data ta mẽ cautione,comprobarem cum *Barth.Ancharr. & Mantua*, apud *Remig.de immu.fall.*39.

Eodem argumento remiges re migio, quoque reddendos si forte antea, vel post consequuti fuerint asylũ,vt placuit *l.*9. §.*penult. tit.*24.*l.*8.*recop. Hevia Cur.Phil.*3. *p.*§.12.*num.* 46. *Cordub. l. si quis à liberis*,§ *sed vnum*, *num.* 26. *Sarpo de iu. Asyl.cap.*5 *Anton. de Marinquot.con.cap.* 177. *Boer. decis.*109. quem in aduersam sententiã frustra vocat *Bouad lib.*2.*cap.*14 *n.*53 *Gama.dec.*362.*Bouadi.d.c.*14.*n.*74. *Pereir de manu Regia, cap.* 50. *nu.* 17.*Villad.cap.*3.*Pol.nu.*215. *Marta de iuris.p.*2.*cap.*51.*num.* 17. *Cutello de immu.lib.*1.*q.* 40.licet dissentiat *Guiur.cons.*30.

Tertiò. Tunc demum Ecclesiæ immunitatem ad illam confugiẽtes consequuntur, cum in statu libertatis salutaria limina contingunt,ideo *confugæ* vocitantur, vt in *l.si qua per calũniam,C.deEpisc. & Cleric. l.præsenti,C. de hijs, qui ad Eccles.conf.* & notauere *Cujat. ad paratit.ibi, & Ferreri. adGuid. decis.* 121. Quo fit, vt priuilegio non potiantur arrepti,& in Ecclesiam conducti,cum in illis confugij ratio nulla sit: suffragatur insuper sententia legis *Capitalium*,§.*ad statuas*, *ff. de pœnis*, vbi sic habetur: *Ad statuas confugere, vel imagines Principum in iniuriã alterius prohibitum est; cum enim leges omnibus hominibus æqualiter securitatẽ tribuãt,immerito visum est in iniuriã potius alterius, quam sui defensionis gratia ad statuas, vel imagines* Principum *confugere.* Ergo in offensam Iustitiæ cedit confugium.Accedit *d.l. Addictos,*

C.

C. de Ep. Aud. cuius iam verba dedimus, sed inculcare sæpius materiæ necessitas, & sanctionis dignitas cogit: *Addictos supplicio, & pro criminum immanitate damnatos, nulli Clericorum, vel Monachorum eorum, etiam quos synoditas vocant, per vim, atque vsurpationem vindicare liceat, ac tenere, sed, & reos ad locum pænæ sub persequutione pergẽtes, nullus teneat, aut defendat, &c.* Expendẽda sunt illa: *Vindicare liceat, & tenere*, ac illa: *Nullus teneat, aut defendat*, atque non minus damnatur initium, occupatio, quam detentio, & lata lex est ad depellendũ immunitatis, & asyli prætextum, quod, vt aptissimè *Cujatius in paratitla* docet synoditæ hi forte vsurpabant exemplo Pontificum Paganorum, quorũ occursus sæpè seruabat ductos ad suppliciũ: quale apud nos quoque priuilegium S. Ioannis Pinnatensis Cœnobitas obtinuisse, eiusdẽ Monasterij Abbas, *D. Ioães Briz Martinez*, dedit in lucem *Histor. S. Ioannis, lib. 3. c. 27.* Vlterius capti ereptio furtum est, iniusta ergo erit furati, aut rapti retentio, vitium namque fert secum, quod extortũ sic est, & arreptũ, ideo *cohærens vitium*, apud Imperatorem *in l. si abducta, C. de furtis*: vnde sicut ereptum Ecclesiæ confugam eidem reddi ratio dictat, *c. sicut antiquitus*, ibi: *Qui autem confinia earum confringere tẽtauerit, aut personam hominis, vel bona eius inde substraxerit, nisi publicus latro fuerit, quousq; emendet, & quod rapuerit reddat, excõmunicetur*, & *cap. miror*, ibi: *Hominem de Ecclesia rapuisti*, & ibi: *Ecclesiæ igitur illæsum reuoca, quẽ irreligiosissime rapuisti 17. q. 4.* Ita, & satellitio captum, aut supplicio damnatũ equitas ecclesiæ restituet; docent *Frãquis decis. 709. num. 3. Nauarius in sum Bullar. tit. de immunit. num. 14.* probabilemque sententiã firmat *Sanchez select. disp. 44.* & acriter examinans *Pasqualigius decis. 486.* tota, & de abducto ab Ecclesia vi, aut dolo; idem sensere citra tamen Iudicis præceptum, post *Genuensem, & Mar. Italam, Farinac. sup. num. 324. Peregri. de immu. cap. 14. num. 10. Megala, 3. p. l. 4 cap. 2. q. 1. nu. 31. P. Diana resol. 16 de imm. l. 1.* quidquid aliquibus perperã inductis legibus dissentiat, *Cutel. de immu. cap. 16.*

Ex ijs in similibus casibus de immunitate concedenda, vel non haud videtur dubitatum; nam cũ quidam Guillelmus Roulandeu qui atrocissimum quoddam facinus perpetrauerat, per quadri via Burdigale traheretur forcipibus ardentibus dissecandus, & vstulãdus, euenit diui Georgij die, vt post binam in ignẽ missionem à tortoris manu sua opera circumsistentis communitatis, ac Carmelitarum Confessorũ ope in Ecclesiam transduceretur; fuit deinde extractus, carceriq; mancipatus ea nocte obijt: at, cum de perficiẽdo supplicio ageretur, etsi nec in defunctum leges sæuiãt, propter criminis tamen immanitatem, & in cadauer, vt decreuerat Senatus, exequendum fuit, Arrestum memorat *Boerius decis. 217. n. 19.* & suis quoque locis retractãt, *Paponi lib. 24. Arrestor tit. 14. de pæna cadaueris, cap. 1. Mornacius ad d. l. Addictos, C. de Ep. Aud.*

Quartò. Qui sibi per suspendiũ tristem faciunt finem sepulturæ quietem, & honorem amittũt, neque cum psalmis eorum cadauera deducuntur; vt relatum est in *Can. 12. placuit 23. q. 5.* Vbi, & is casus iungitur; *similiter, & de ijs placuit fieri, qui pro suis sceleribus*

pu-

puniũtur, at quamuis pœnitentes sepeliantur, *cap. Quæsitũ* 13. *quæst.* 2. iura tamẽ hęc ad forum animæ orationes, & suffragia pertinent; vnde sequẽti Canone *fures, & c.* 2. *de furt.* apte scribitur: *Fures, & latrones, si in furando, aut deprædando occidantur; visum est, pro eis non orandum; si cõprehensi, aut vulnerati Presbytero, vel Diacono confessi fuerint, communionem eis non negamus.* Quasi exponeret, ex parte Ecclesiæ: nihil tamen Canones de potestate Principũ minuerunt circa corpus; quibus proinde imperium derelinquitur, vt gladio vltore enormia delicta vindicentur; nã, & *capite sunt quædã* 39. *eadem cau.* 23 *q.* 5. ita scribitur: *Huiusmodi reos Reges, & Principes mundi damnãt; Ergo non sine causa gladiũ portant, qui talia scelera diiudicant. Sunt enim maxime constituti propter latrones homicidas raptores, & vt illos damnent, & altos suo timore compescant.* At inde sepeliendi arbitrium Principibus permissum Canonum iure, vt celebris *Glossa* animaduertit in *d. cap. quæsitum, verb. In patibulis*, illis verbis: *Licite ergo sepeliuntur suspensi, & concremati, dũmodo hoc fiat auctoritate Principis, vt ff. de cadau. pu.l.* 2. Eamque concors Canonistarum Schola commendat, & primum tenuisse *Hugutiũ* per antiquum interpretem patria, vt existimo Vercellensem, à quo in Glossam irrepsisse colligo, ex emimentissimo Card. *Torquemada in d.c. Hostiẽs, cap. ex parte de sepult. Ioan. Anan. cap.* 2. *de furt.* & communiter probari, ait *Gomez. var. lib.* 3. *cap. fin. num.* 8. *Gloss. in Clem.* 1. *de pœnit. v. Sepultura*, vbi *Hostiẽ. Vitalin. & Barbos.* post alios.

Quod si licite sepeliuntur suspensi ex permissu Principis, eo renuente, cadauere furtim detracto, spreta iustitia, pessimo exemplo, quis dicet? Certè iniuria dicet, vtramque propositionem mirifice cõprobat *Sacri Palatij Magister Syluester Prierius, in summa, verb. Sepultura*, quem speciosum, aut specialem esse locum rei, de qua agimus non dubito, atque inde inserendum; is enim Doctor postquam decimam quæstionem sic proponit: *De quibus sit dubium an sepeliri debeant in sacro, casus enumerans sic prosequitur. Quartũ suspensus, vel aliter propter scelera iustitiatus, si moriatur impœnitens, pœnitentia, & sepultura carebit. Si vero contritus, sicut pœnitentia, & Viaticum, ita, & sepultura, secundum Arch. non negabitur, etiam cum solemnitate Missæ, & aliorum officiorum, secundum Panor. in d.c. ex parte.* 13. *q.* 2. *cap. fin. tamen ad eum deponendum de patibulo requiritur licentia Iudicis sæcularis, qui tamen debet eam faciliter dare, vt in l.* 1. *&* 2. *ff. de cada. puni. Vndecimo quæritur; quid de recipientibus aliquem ad sepulturam in casu non concesso? Et dico duo. Primum. Sepelientes prædictos in* §. *priore scienter, peccant mortaliter, secundum Arch. argu.* 25. *q.* 1. *Violatores, & vlterius sepelientes publicè excommunicatos, vel nominatim interdictos, vel manifestos vsurarios; sunt excommunicati maiore, vt supra Excommunicatio* 9. §. 5. *& generaliter recipiẽs aliquem ad sepulturam in casu non cõcesso, tenetur restituere corpus, si petatur; non solum recẽter sepultum, sed etiam post: ita, vt sola ossa superesse videantur, secundum Pan. in c. liberum, extra eo. & quicquid ratione illius corporis perceperit: & hoc ratione malæ fidei, secundum Glos. in d. cap. cum liberum. Secundum. Si Sacerdos Parochialis corpus eius, qui alibi eligit sepulturam*

violēter rapuerit, vel funus spoliauit, ante quam venerit ad manus eorum, quibus debebatur, secundum Host. in d. cap. cum liberum amittit ius quod habebat, &c. sequuntur *Fumus. in v. Sepultura 2. Tabie. 18. Angel. de Clau. 32. DD. in cap. fraternitatem. cap ex parte, cap. cum liberum, ex. de sepult. Barbosa, ibidē Samuelius nouissimè, tract. 2. de sepult. priuat contr. 7. num. 25.*

Ex quibus, cum infœlicis victimæ sepultura sit ipsum suspēdium, aut supplicij locus, immerito, & iniuria, ab alijs occupata reddenda, & retrahenda erat; vbicumque enim fugit victima suam conditionem nō mutat: nam, vt apte & signate, *Mornac. in d. l. Addictos: Qui ex causa criminis damnatus est videtur deinceps publicæ instar victimæ ad expiationem sceleris, fugiens autem victima vbicūque inuenta fuerit occidenda est, ne piaculum committatur, ait Servius ad vers. Et magno mercentur Atridæ, lib. 2. Æneidos.*

Sed satis constitimus, & ni fallo edissertauimus de Regali iure, retundamus iā tela, & oppugnātes rationes reddamus amicas, aut probemus inanes; quod, nec difficili negotio cōsequemur. Primum igitur non obstat; nam licet generatim immunitas concedatur personis, ac rebus in Ecclesiā inductis, id tamē ad exportatum hoc, & ablatū cadauer minus conueniet, nam persona non est; at immunitas confugis, & refugis conceditur, *d. l. si qua per calumniā C. de Ep. Aud. d. l. si seruus, C. de ijs, qui ad Eccles.* vnde *personam hominis*, recte dicitur immunitate potiri in *cap. sicut antiquitus 17. q. 4.* Deinde, quia sumus in exceptione Latronis, nempe, siue simplicis iuris, qui in Regno, vt vidimus nō gaudet, & vlterius in seruo pœnæ, cuius ea conditio est, vt maneat patibulo; quemadmodū, & seruitutis species est à monumento nō recedere *l. Titio centū, §. Titio centum, ff. de cond. & demost.* de qua *Amaya lib. 1. obseru. cap. 6. n. 4.* D. *Ioseph. Fernan de Rettes meritiss Salm. Acad. Interpres, ad l. 6. C. de Relig. & Ioan. à Vvouve ad Petro. c. 71. nota 19.*

Neque pugnat secundum de damnato ad Ecclesiam confugiēte, vt potiatur immunitate; nā distinguēdi sunt tres casus. Primus: si captus à carcere, aut satellitio se liberauit, liberq; ad Ecclesiam cōfugit. Secūdus: si assequutus fuerit Ecclesiam, tamen ipse vinctus, & sub familia existit. Tertius: si per vim, & dolum cognatorum, aut amicorum ope spoliatur familia, aut carcer, vbi captus ducebatur, aut mācipabatur. De primo, & secundo varie Doctores, vidend, *Bonadilla, lib 2. Pol. cap. 14. à nu. 61 Guiurb. consl. 30. nu. 11.* De tertio, qui noster est, existimo, reum immunitate non gaudere, ex allatis rationibus in argumento; pessimique in republica exempli esset, conniuere iura peccatis, & perditis hominibus tantam delinquendi materiam præbere, at prima pars æquitatis est æqualitas, ait *Seneca*, & Ecclesia illā summopere amplectitur: iniquū ergo videretur aliud ius, sibi dici cum spoliatur iustitia, ac si Ecclesia spoliaretur, ad *l. 1. quod quisque iuris Langl. 7. sem. c. 15.* & in terminis post *Nouarium, Pasqualig. d. decis. 486. num. 8.* deinde ipse *P. Diana*, qui vtroque casu, ereptum Ecclesię, aut satellitio, gaudere firmat, ita argumētatur, *tract. 1 de immun. resol. 16. Ratio est quia talis reus est affectus pro restitutione Ecclesiæ, quæ fuit dolo, seu vi spolia-*

lia-

liata: ergo ad quemcumque transierit cum tali onere transit; sicut res furtiua transit ad omnes cum onere restitutionis, cui de iure competit, scilicet domino suo Iaculum, vt à se ipso, valide retortum, quamuis vero eidem sententiæ inhęrens, nec Pasqualigij decisionem, sufferēs addit, sacram Congregationem, pro se tulisse iudicium, *p. 9 tr. 8. resol.* 45. Veneramur vtriusque fidem; sed nobis, qui ratione certamus liceat, cum venia, veritatem inquirere, pondere auctoritatis, non auctoris *quando, & legem ratio cōmendet*, vt inquit *Tertul. de Cor. mil. c.* 4. grauiter ergo Sāctissimus Pontifex *Innoce. in c. à nobis de sent. excom.* illic: *Nos igitur consultationi tuæ, respondemus, quod iudicium Dei, veritati quæ nō fallit, nec fallitur semper innititur, iudicium autē Ecclesiæ nōnunquam opinionem sequitur, quam & fallere sæpè contingit, & falli, &c.* vbi notant DD. *Cutel. cap. 1. in fine.*

Neque obstant minus rationes nouissimi *Delbene tom. 2. de immunit. c. 16. dub. 70. sect. 6 & dub 33. à num.* 24. Prima: quod si confugit liber potitur: ergo ereptus, deinde liber. Futile argumentum de minori, vt dicunt ad maius, de casu simplici ad qualificatum. Respondetur etiam, confugam non solum physicè, sed moraliter esse oportere, vt protegatur, nam Curia suo iure non priuatur per confugium dolo, vel vi, consumatum: ita *Pasqualig. d. decis.* 486. *n.* 9. Secundo: non posse delinquentem priuari iure vitæ seruandæ: at priuaret extractio si tolleretur confugium, quod esset absurdum: ergo iure fugit, iure seruat Ecclesia. Absurda argumentatio; cum, & ea quoque furta teneren tur, defenderētur, cōtra Leges, & Canones à nobis inductos. Deinde hic confuga, nisi ereptus non erat immunis: ergo sua immunitas, inspecta origine, fuit ereptio, non aliquod suum ius, vt statuit *Delbene*, qui minus bene capti vsurpationem *patrocinium* vocat: audiat *D. Cyprianum de lapsis, ser.* 5. *Quid iniuriā beneficium vocant? Quid impietatem pietatis vocabulo appellant?* Deinde inquit: extrahētes peccant, non confuga; qui dū habet ius se violenter extrahendi, magis permittendi. R. Permittere quidem posse, inde tamen spolij vitium, non excutit, *Pasqualig. num.* 10. nam iustè captus iniustè rapitur, ex *D. Tho. 2. 2. q. 10. ar. 12. ad 2. & q. 69. ar. 4. & 3. p. q. 68. ar. 10. ad. 1. & Quotlib. 2. q. 4 ar. 2. ad 2 Bañes 2. 2. q. 96. ar. 4 fol. 296. Lesius de iust. lib. 2. c. 31. du. 5. n.* 36. Tandē de aufugiēte in alienam ditionem arguit, vt nec reddatur, quo aufugit, coniungitque cum eo, qui ad Ecclesiam, sed vane; nam quod retineantur confugientes in alienam Prouinciā, moris est, non iuris *Auth. si vero criminis C. ad l. Iul. de adult. Auth. vt nulli iudicum*, §. *si vero quis comprehensor, cap ad Apostolicæ de sen. ten. & re iud. Molin. de Brach. sec. c.* 43. & sub eodē Principe remissionem laudat *Caual. resf* 161. *n.* 11. cautum apud Nos *Foro Anni* 1592.

Nec tandem obstat Tertiū, ex *c. quæsitum*, de quo diximus, longe magis probari illo, & sequenti Fisci causam adiūcta Glossa: fuerat dubitandi ratio Decretū Concilij Bracharensis primi, de quo in *cap. placuit 23. quæst.* 5. Vbi generatim fuerat statutum, suspendiosos, nec lugeri, nec sepeliri, tā qui mortem oppetijssent vltro, quam qui legis vindice punirentur. Deinde vero in *cap. quæsitum 13. q.* 2. In Cōcilio Moguntinensi, quod multis post annis fuit coa-

ctum

ctum quærebatur; an id quoque exequendũ, quando damnati supplicio, post confessionẽ Deo peractã suspenderentur; quibus fuit responsum, digne confitentibus, & pœnitentibus communionem non denegari, indeque, & ijs minime denegandam, ita sententia hæc pertinebit ad ius Ecclesiæ, & frustra vocatur ad diminutionẽ iuris regij atrocissimos quandoque insepultos relinquentis.

Sed, vt amplius comprobetur, & tollatur scrupulus indiscretæ dubitationis, si forte alicui contingat, cum quæratur de confesso cruciario; cui ex præscripto Ecclesiæ communio deneganda non videretur, *cap. si quis de pœnit. d. 7. cap. 16. cau. 13. q. 2.* obseruo, sub priori disciplina fideles, qui, vel homicidium, aut simile facinus perpetrassent, quãuis de suo scelere per confessionẽ purgari cuperent annis pluribus cum mœrore, & plãctu multisque angustijs Clericorum, & Monachorum totiusq; populi precibus exacta pœnitẽtia ad portum salutis, perueniebant, & communioni restituebantur; qui vero intra præfinita tempora decessissent Dei iudicio, & benignitati relinquebantur, quousque suggerẽte posterioris, qui censura mitius actum, & omnibus, digne tamen pœnitentibus cõmunionis beneficiũ indultũ est: atq; hæc forsan ratio dubitandi Patrum, quod qui pro suis sceleribus puniti, quãuis confessi essent, non tamen (intra tempora explendæ pœnitentiæ constituti) communioni redditi extitissent, atq; si debitam, & iniũctam pœnitentiam peregissent; quibus rectissime opponuntur, quæ seruiunt ad decisionem, videlicet: *Si omnibus de peccatis suis puram confessionem agentibus, & digne pœnitentibus communio in fine secundum Canonicum iussum danda est, cur non eis, qui pro peccatis suis pœnam extremam persoluũt* quasi diceret maiorem pœnitentiã, quã prisca disciplina sustulisse, qui extremi, inde, & Ecclesiæ gremio recipiendos, *scriptum est enim non vindicat Deus bis in id ipsum*, in sacra nẽpe pagina: *Nahũ primo*, iuxta septuaginta versionem; cæterum, Moguntinense hoc decretũ ad antiquum exigendæ pœnitentiæ morem pertinere, indicat cõtextus sequentium Canonum, *fures, & latrones*, & *si fur, & latro fin. ead. caus.* & *quæst.* quibus ad exornationem veteris pœnitẽtię adiungenda sunt *Decreta. dist. 50.* cum *Beda*, *Rabano*, *Pœnitentialibus*, & *notis* Eruditissimi, & Illustrissim. *Ant. Aug.* quem iã diu fama volucris glorioso beat Panegyri, *Episcop. Lemovicens. Gab. Albasp. in suis obser. l. 1. plenissime.*

Quatenus vero consuetudinẽ inhumandi damnatorum cadauera reprobasse diximus *Petrum de Rauẽna, in tract. Valete cum perpetuo silentio, fol. 10. & Panormitanum, Rochũ ac Syluestrum*, quos pro eadem sententia adduxit *D. Couarr. d. lib. 2. var. cap. 1. num. 11.*

Cæterum apud omnes ferè nationes cõtraria inualuit consuetudo denegandi sepulturam probrosis, & atrocissimis hominibus; licet enim in defunctũ sæuire regulariter non liceat, *l. defuncto. ff. de publi. Iudicijs*, insatiabilis quippè fletus est (ait *Casiodor. lib. 2. epist. 22.*) qui humandis non finitur corporibus interesse; pro immanitate tamen criminum iura transiliuntur; & dum omnibus ferè ingenita est famæ post mortẽ cupido, genus quoque mortis, vltra mortem infamat, vt crimina vitet: *non satis putauerunt maiores*

(in-

(inquit *Quintilianus dec. 274.*) *easdem pœnas constituere, quas possit aliquis excipere in vita, multos magis tangit sepultura, ad cogitationē post se futurorum plerique grauius mouentur.* multa accuratè, & ornatè apud *Ærodium lib. 9. rerum iudicatarum tit. 12. & tit. 15. de cadaue. punitorum*, quam consuetudinem agnouerunt; *Maior in 4. dist. 45. quæst. 4. Couarr. lib. 2. variar. cap. 1. num. 11. Menoch. de arbitrarijs casu 387. nu. 31. Guillermus Benedictus, c. Raynutius, ver. Mortuo, el primero, Solorzano de parricidijs, lib. 1. cap. 22. Hort. Caualc. de Brach. Reg. p. 4. nu. 317. Gāma de Sacram. præst. vlt. sup. damn. cap. 7 Georg. Erbard. ad Petron. d. cap. 71. satir. Seb. Guazin. de reor. def. def. 38. cap. 6. & 7. nu. 5.* vbi in statu Ecclesiastico seruari testatur. *Bouad. l. 3. Pol. cap. 15. nu. 143.*

Sed ex sacri codicis interpretibus, hanc ipsam consuetudinem reuocare liceat, postquam enim *Deuteronomij cap. 21.* Patibulo appensum eodem die sepeliendum tradebatur. *Alphonsus* tamen *Madrigalius*, Abulensis Episcopus, (quem *Tostatum* vulgus appellat) *ad vers. Appensus*, ita scribit: *Sed in eodē die sepelietur* (verba sacræ paginæ, quæ ita exponit) *Quia satis hominibus spectaculum præstat occisus, si vna die, vel dimidia pendeat: illa autem lex non tenetur à nobis vniuersaliter, quia interdum illi, qui suspenduntur per multos dies, & per annum, vsque ad totalē resolutionem in patibulo manent; quia licet decens sit nostrā bonorare naturam, maior tamen vtilitas Reipublicæ interdum est, quod illi multis diebus pendentes multis spectaculum præbeant, quam sit damnum, vel inbonestū vilipendendo naturam, Cor. à Lapide d. cap. 21. Deuteronomij, vers. 22. & 23. Lorinus d. cap. 21. Deuteronomij, vers. Interdumque ad horrorem, ac terrorem. Menoch de Rep. Heb. l. 8. c. 3. num. 5.*

Sed, & Rauennā nominatim exagitat duobus libris in id digestis, *Hochstratē. Prouincialis Ord. Præ. in Iustif. Prin. Alaman.* & meminit *Georgius Herbard. Francus ad Petron d. cap. 71. Satyricon. Not a 20.* & *Gam* post *decis. q. 7* iure obseruat, neq; *Panormitanum*, aut *Syluestrum*, allatis per Couarr. locis illā damnasse, imò iuxta dispositionē *legis 1. ff. de cadau. punitor.* omnes, tam pro fani, quam sacri interpretes videntur agnoscere.

Non autem oportet à loco discedere, quin explicemus aliquantulum sententiam *Glos. in d. l. 1. verbo cognatis ff. de cad. pun* refert quippè Iosephum ab Arimathia petijsse, & obtinuisse à Pilato Corpus Iesu Seruatoris nostri: is vero cum fuerit damnatus; quod Regem se dixerit; proindeque Maiestatis nomine, iuxta Romanas leges, & præscriptum morem, sepulturæ honos ei denegandus videbatur; nam in calce *d. l. 1.* sic habetur: *Et nonunquam non permittitur, maxime Maiestatis causa damnatorum*: quibus etiam fauet sacer textus, *Marci 15.* dicens: *Venit Ioseph ab Arimathia nobilis Decurio, qui, & ipse erat expectans Regnū Dei: & audacter petijt corpus Iesu.* Confisus itaque petijsse, adhuc in hoc crimine videbatur nobilis hic Decurio, quasi humanissimam, nec exlegem sententiā expectans à Pilato: quas dubitationes inuenit humanarum litterarum, & ipse Spicilegium *P. A. Pinto Ramir* in suo, & sacro *tract. 1. cap. 44. num. 8.*

Ad excitatum vero dubium legis primæ, *Glossa* id tātum innuit: petitum quidem, & permissum à Pilato sepeliri Corpus Iesu, quod

& ad-

& admittit, qui difficultatem gustauit, *Vitalinus in Clem. 1. de pœniten. & remiss. nu. 26.* Non tamen illam soluit; ipse tamen *Pinto* subtili coniectura existimat, Augusti decretū in Iudęa mansisse adhuc, mihi tamen, nec satis ad gustum cum Iudæa legibus Romanis pareret, & criminis impostura honorem sepulturæ vetaret: igitur Iurisconsulti more, ad textum redeo, existimans, concessisse Pilatum; quoniam, vt est apud *Ioan. c. 19.* intercedebat quoq; festi dies, & quidem magnus, & instabant Iudæi: nam ita scribit. *Iudæi ergo, (quoniam parasceue erat) vt non remanerēt in cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus, dies ille Sabbathi) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Ex more namq; erat propter publicā lætitiam, & dierum solemnitatem, veniam eiusmodi concedere: quemadmodum *Philo Iudæus*, ad *Flauum* refert: *Noui quosdam, inquit, iam crucifixos, instāte festo Augustorum, de Cruce depositos & ad sepulturam, ex more, cognatis redditos*: quæ verissima mihi ratio videtur: ad quam, ad eundi sunt nostri I.C. *Carolus Sigonius de Rep. Heb. lib 6. c fin. Petr. Fab. 2. sem. cap. 9. in fine, D. Laur. Ramirez de Prado, Pentecont. cap. 17.* præstantissimè. *Audacter* vero petijt Ioseph, secūdum *Augustinum*, & *Maldonatum*, cum *Pinto*, quod diues, indeque, & gratiosus apud Præsidem: certè cum *Ioseph esset Discipulus Iesu, occultus autē propter metum Iudæorum. Ioan. cap. 19.* vereri potuit, ne ex desiderato pietatis officio, illorum indignationem pateretur; sed occultus Discipuli erga Magistrum amor audacter prorupit: amoris ergo audacia fuit, nō fiducia moris: vt indicat *Theophilactus*, & ostendit *Chrysanthus Solarius in Pentatecutho mor. lib. 2. cap. 7 num. 20.*

Neque faciunt scrupulum, quæ adnotauimus ex sacra pagina, *c. 21. Deutero. vers. 21. & 22.* in hæc verba *Qāādo peccauerit homo, quā morte plectendū est, & adiudicatus morti appensus si erit in patibulo, non permanebit cadauer eius in ligno, sed in eadem die sepelietur, &c.* refertq; legem *Ioseph. Antiq. l. 4. c. 8 Carol. Sig. de Rep. Heb. lib. 6 c. 8. de pœn:* & *Cap. 8. Iosue, vers. 29. Regem quoque eius suspendit in patibulo vsque ad vesperam, & Solis occasum; præcepitque Iosue, & deposuerunt cadauer eius de cruce, &c.* Ex quibus, Infœlicium punitorum cadauera sepulturæ mandanda, apertissime comprobatur.

Sed inuestigare amplius oportet mētē legis, quæ tantum abest, vt pugnet: quare in assignāda ratione huius moris variant Interpretes: Quidā ideo sepulturæ cōmēdāda existimasse Iudæos punitorum cadauera, quod illorū animas excruciari crediderint corporibus insepultis, & inquietis: quę ominose pręstigię obseruatę, fuerūt non minus ab Ægyptijs, Græcis, & Romanis. *Tertul. de anima* partim probat *Creditum est, insepultos nō ante ad inferos redigi, quam iusta perceperint, secundum Homericū Patroclum funus in somnis de Achille flagitantem, quod non alias adire portas inferorum possent arcentibus eos longè animabus sepultorum.* Inducit in hanc rem loquentem Sibillam, *Virgilius 6. Æneid.*

Hæc omnis, quam cernis inops, inhumataque turba est.
Portitor ille Charon; hi quos vehit vnda sepulti,
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta.
Transportare, prius quam sedibus

bus ossa quierunt;
Centum errant annos volitantque hac littora circum:
Tum demũ admissi stagna exoptata reuisunt.

Vbi *Seruius* accipit *Virgilium*, de ijs, qui neque legitimam, neque imaginariam sepulturam haberent: adeundi etiam *Cerda* in ijs locis, *Georg. Herbard. ad Petro. Satyr. cap. 71. nota 8. aduerb. Graeco more, Iacob Durantius lib. 1. cap. 4. var. Mornac ad l. obnoxios, C. de Relig & sumpt. fun. Pinto Spicileg tract. 1. cap. 32. nu. 12.* & somnia isthæc, ac interpretamenta reprobantes *D. Augus. de Ciuit. Dei, in 1. & de cura pro mor. ag. D. Tho. in 4. d. 25. art. 3. Lorinus*, & *Cornel. à Lapide in d. cap. 21. Deuter.*

Existimarunt alij, horum cadauera contegenda, & humanda, quia homines Dei similitudinem referant, diuque suspensi ad eiusdem quodãmodo iniuriam, & vilipendium cederet: quam expositionem admittunt *Rabi Salom. Lyran.* & *Abulensis d. cap. 21. Deuter.* pro qua est pulcher textus in *l. si quis in metallum 17. C. de pœnis*, vbi vetitum faciem scribi notarive consignata ratione, *quo facies, quę ad similitudinem pulchritudinis est cælestis figurata, minime maculetur l. 2. C. eod. in Theod. v. Cuj. 7. ob. 13. Pet Greg. ad ius Canon. l. 4. tit. 11. cap. 6. Baron. in Martyrolog. ad diem 22. Dec, Bernar. ad Papin. lib. 1. Sil. ibi, mixta notis. Belli. D. Ramirez ad Mart. lib. 2. ep. 26.* ornate.

Sed *Pater Andreas Masius in c. 8. Iosue, nu.* 28. legem exponit, de celeri sepultura suspensis concessa, ne aer, terraque contaminaretur; nam, & scribitur postmodum in sacra pagina. *Et nequaquã contaminabis terram tuam*, quã præuiderat *Abulens. c. 21. Deut. q. 4. vers. Appensus*, exornant *Bellus, cap. nullus 13. q. 2. Gam. q* 8. Quæ tamen expositio displicuit *Cornelio sup.* & *D. Laurentio Ramirez Penticontb. cap. 17.* qui nodum inuenisse, nec dissoluisse, inquit.

Ne vero nimis in referendis, & refellendis expositionibus diuagemur (ac præsertim in aliena castra transeuntes) longe verius existimamus Deuteronomij legem, de corporibus damnatorum deponendis, & sepeliendis, esse latam in eorundem execrationem, non ob vllum pietatis officium: tum quod illa execrandum, ac detestabile, quid sonent *Quia, maledictus homo, qui pendet in ligno*: tum, & sequentia, *& nequaquam contaminabis terram tuam.* Sane si maledictus, qui pendet, frustra cõueniet sepeliẽdum illum in obsequium pietatis & honoris, cũ ob peccatũ execrabilis fieret, & iuxta illud, eiusdẽ Sacrę paginæ. *Det te Deus in maledictionem, exemplũ que cunctor.* Eo sensu, propter peccata nostra Christus Dominus *de maledicto legis factus pro nobis maledictum*, ait *Paulus ad Galat.* 3. 13. 14. quo, & allusit *Tertul. cap. 8. de Patien.* ad patientiã instruẽs. *Quum vos maledixerint, gaudete; Dominus ipse maledictus in lege est, & tamen solus est benedictus*, sicce hoc in loco *Cerda. Pamelium* adi: Contaminatur etiam terra pendẽtis aspectu, nam vitiorum memoria reuocatur, & impuritate affecti pensata, affectus contemplantium commouentur, atque inde sepulturę mandari oportere: facinorosis vero terram cõtaminari, ac pollui, notat apprime *Lorin.* ex *Leuitico, cap.* 18. 21. 24. 27. Qua ergo ratione apud Romanos, & alios, abiecti, & insepulti scelestissimi, vt nec indicium eorum maneret, deleretur que memoria, *P. Fab. 2. sem. 9.* Ea, & apud He-

Hebræos suspensi, ne viderentur sepulti, & hanc fideliorẽ explanationem, & communiorem, docuerũt. *Caieta.* aptissimè *Cornel. à Lapide, Lorinus d. loco*, & *D. Ramirez de Prado, d. c.* 17. Vnde necesse nõ videtur, argumenti vim eneruare, negando huius legis vigorem, quia ad iudicium pertineat, vt docuit *I. Maior. in 4. dist. 45. quæst. 4. in fi.* & generatim *Masquard de Susan. de Iud. p. 2. cap. 4. Farina de immuni. num.* 355.

Sepeliebãtur quidẽ, sed cũ dedecore, nec in maiorũ sepulchris: colligitur, ex *Talmud*, & *Rabbinis*, quos adducit *Gretser de Cruce, lib. 1. cap. 27. tom. 1.* & noster *Ramirez d. cap.* 17. confirmans Historia eiusdẽ Regis *Haj.* de qua hoc *capite* 8. *Iosue*, illic: *Proieceruntq;* (temere itaque) *in ipso introitu Ciuitatis, congregato super eũ magno aceruo lapidum*, quo loci ipsum indicans *Abulensis*, inquit, *vt sic saltem infelix illud cadauer tumulatum foret.* Similis apud eundem *Iosue cap.* 10. quinque Regum suspensio, & sepultura, ibi: *Quibus depositis proiecerũt eos in speluncam*, vbi idem *Abulensis*, factũ memorat, *vt daretur eis, quidam honor sepulchri.* Certè, vel minimus; nam & Absaloni, qui pendens in sublime transfixus similis fouea data, & vt vertunt *interpretes*, & *Lyranus*, in opprobrium, ait Sacer text. 2. *Reg.* 18. *v.* 17. *Et proiecerunt eum in saltu in foueam grandem, & comportauerunt super eum aceruum lapidum magnum nimis.* Exaggerare vero lapidibus tumulũ, iniuriæ, etiam ornamentum sapit, iuxta illud *Propertij l.* 4. *Eleg.* 5.

Quisquis amas, scabris hoc bustum cedito saxis.
Mixtaq; cum saxis, addito verba mala.

Consulendus est *P. Pinto Spicilegio, tract.* 1. *cap.* 32. *num.* 11. Cæterũ, in libris Iudicum paratas fuisse certas cauernas damnatorum corporibus, qui appellãte *Bor.* vel *Seol.* obseruat erudite noster *Ramirez, d. cap.* 17. idemque apud Romanos de puticulis sceleratorum, quod ibi putrescerent adi *Baronium in Martyrolog. ad diem decimum Februarij*, & *Samuell. de sepult. pag. mihi* 257.

Extat apud Nos vestigium, aut tristis huius materiæ monumẽtũ; nam qui manu tortoris ob scelera puniuntur, dum, vel ex ijs sint, qui honestiores, & gratia Principis sepulturam meruerint, vel delictum morte luerint satis, ex benefica Magni, & Magnanimi Regis Ioannis II. pietate, & ob Diuę Virginis Mariæ deuotionem Regio diplomate concessum est, vt sepeliri possint duobus puticulis huic operi consignatis intra septa, & claustra Diui Francisci honorariori hoc loco correcti, in quo adpositus est perveruftus lapis Gothicis, & excavatis litteris descriptus, qui eam memorat pietatem; sin vero viles sint, & ignominiosam laquei mortem subeunt, Sancti Pauli religioso quodam citra Ecclesiam loco inhumantur: quo etiam pendentiũ punitorũ extra Vrbem marcentia ossa, tandem per servum publicũ, & impuras submenianas meretrices colliguntur, & certis quibusdam eiusdem parecciæ Sacerdotibus, funali quadam memoria, signato Diui Gregorij die perducuntur; vt aliqua horum sit saltim humi quies, postquã (quod notandum) *exempla* non sunt: nec absimilis apud Lusitanos consuetudo, cuius meminit *Gamma d. quæst.* 8.

Ex quibus etiam, & alia fu-

nesti moris, apud nos video comprobata; nam ex prædictis sacræ paginæ locis seruat vsus, pendere punitorum cadauera supplicij loco per diem (donec careentia sepultura exportantur ad vias, nõ minus in exemplũ, de quo *Mornac. ad l. obnoxios, C. de Relig.*) id, quod adnotauit *Bald. c. 1. §. iniuria de pace iur. fir. Iacob. Boulenc. in d. l. Capitaliũ, §. famosos, n. 51. Bouadill. lib. 3. Polit. cap. 15. n. 143. Seb. Guazi. de reor. defen. 37. cap. 5. n. 13.* Deinde, absque permissu non deponi, ad *l. 1. ff. de cadau.* & quidem Præsidis, Principis loco, non loci iudicis, vt vidimus aliquando illi inhibitũ: pertinẽt enim, hoc ad imperiũ vitæ, & necis Principi reseruatum, quod mire ex *D. Hieronymo* probat *Mornac. ad l. Addictos, C. de Ep. Aud.* Vlterius, sepulturam sibi non eligere capitali affectos supplicio, quia neque testantur, *l. eius qui, cum alijs. ff. qui test. fac.* Quæ in hoc seruatur in Regno, si iudici ob criminis grauitatem videbitur; inde nec lugẽtur, vt diximus.

Ex hoc effectu imperij quo sine permissu deponi corpora damnatorum, vetitum est, infit, deposita ablata, & in Ecclesia relicta contegi terra nõ debere, sed oportere potius, reddi, ac reduci ad executionem pœnę, ad quam peragendam licet indubie executoribus, abducere, & exportare, vt in *l. 6. §. sane, C. de ijs, qui ad Eccles.* illic: *Per eos videlicet, ad quos hoc pertinet, Auth. de Mand. Prin. §. neque,* ibi: *Sed etiam inde extrahes, & supplicium eis inferes, Obs. 2. tit. de ijs, qui ad Eccles.* in hæc verba: *Si quis, rem sibi furatam, vel raptam asserat esse in domo Infantionis, Almutaçaf., vel Iurati, vel alij Officiales possunt intrare licite illam domum, & perquirere illam rem furatam, vel raptam, si sit ibi, & eam ibi facere de manifesto, & si dominus illius rei inuenerit, illam rem esse suam, recuperet eam:* & de aufugiente raptore ad Ecclesiam à satellitibus insequuto, infra, *potest extrahi de illa domo, & etiam de Ecclesia per Officiales, & homines locorum,* qui familiam comitãtur, iuxta *For. de pace.* itaque apud Nos admissa est opinio *Ioãnis Fabri in cap. fin. inst. de ijs qui sui, vel al. iu. sunt, num. 5.* existimantis, delinquentium extractiones fieri, nec posse per Ecclesiasticos, quibus imminet irregularitatis dispendium, forte excedentibus: atque ita obseruat *Antiquus Interpres Bages* Serenissimi Alphonsi V. magnanimi, & sapientissimi cognomento, à secretis, in *d. Obs. 2. Bardaxinius in com. Foror. rub. de ijs, qui ad Eccles. conf. num. 37.* & à Francis quoque traductum morẽ, satis existimo, vbi sine mora, & licentia extrahuntur confugæ, vt docet *Boer. decis. 109.* & cũ Rebuffo noster *Bard. num. 28.* nisi, quod illac generatim, apud Aragones, dum licet absque immunitatis iniuria, vt ex eodem interprete comprobatur.

Quinimo, ex ipsis quoque legibus, canonibus, atque antiquioribus Fororum stabilimentis cõfirmatur: nam extractiones illæ impugnanturque violenter, & præcipuè à priuatis fiunt, & cum iniuria, *l. si venerabilis 13. C. de Ep. & Cler. l. 4. 5. & 6. C. de ijs, qui ad Eccles. l. 37. C. T. de Epis. Eccles. & Cler. cap. sicut antiquitus,* ibi: *Cõfringere tentauerit, cap. miror,* ibi: *Rapuisti, cap. reum,* ibi: *Nemo abstrahere audeat,* cum alijs *17. q. 4. c. inter alia de immu. Eccles.* ibi. *Violenter, For. vni. de ijs qui ad Eccles.* illic: *Abstrahi violenter, & in For. 1. de immunit. Eccles.* ibi: *Nec inde ab*

strahat violenter. Cum hæc vero cessat recte abducũtur intromissa, nam, vt inquit *lex iniuriarum* §. 1 *de iniur. Is qui iure publico vtitur non videtur iniuriæ faciendæ causa, hoc facere, iuris enim executio non habet iniuriam,* & *quæ iure Magistratus fiunt ad iniuriarum actionem non pertinent*, vt in eadẽ lege, §. 6. recitatur, & dum tenetur iudex, ac satelles iudicare, & exequi curare, si exequẽdum aliquid est, credendum etiam permissum in sacris Canonibus, si nõ euidentet impugnatur, & vt subtilissime *Iustinianus* circa homicidas, adulteros, & raptores virginum, in *d. §. Neque: Non erit possibile, vtrumque tueri cautela sacrorum locorum, & lædentem, & læsum,* inde legum mens, ad eaquæ iuris ordine fiunt non protenditur *d. For. de immu. Eccl.* ibi: *Nisi hoc iudicialiter fuerit faciendum,* §. *itemq; como Fuero, tit. decla. priu. gen. fol.* 11. *col.* 3. quẽ inducit Reg. Consl. *Ludouicus de la Caualleria,* Regni praxi summe peritus, in *notis ad For. de immun.* inferens ad prouisiones Iudicum, & soquitur *Bardax. in d. Rub. nu.* 37. credens adhuc in casu permisso exequentem Iudicis præcepto posse ianuas vi occlusas, vi quoq; confringere, cui iungendus est *Portolesius in Scholijs ad Mol. v. Manifestatio circa finem*, absit tamen temeritas, & scãdalum, præcipuè dum sacra peraguntur, *Auth. sed nouo iure, C. de Ep. & Cler. l.* 2. *ff. de in ius vocando,* vbi notanter *Menac. Decian. tr. crim. lib. 6. cap.* 24. *num.* 9.

Similem praxim, ex simili cõstitutione Cathaloniæ refert *Thomas Mieres,* discipulus Nicolai de Tudisquis, quem vulgo Panormitanũ appellamus succi plenus Doctor, is enim in *Constitu. de immun. Ecclés. coll.* 3. R. *Alphon. II*: *num.* 3. ita inquit: *Et Nota hic priuilegium immunitatis Ecclesiasticæ; & adde sup. Collatione proxima c.* 11. *quia nullus debet violare valuas Ecclesiarum, nisi habeat iurisdictionem in eis, vt de restit. Spoliat. cap. cum causam notat Ioan. de Immol. cap. ad nostrum in Cle. in Glos. super verbo frangũtur, vide per eum, ibi latius, & quod in hac Constitutione dicitur, quod non fiat violentia in prædictis fallit in casu Soni emissi, vbi denegaretur scrutinium: quia semper intelligitur excepta Regalia Soni emissi, quia Regaliæ sunt exceptæ, vt sup. coll. prox. cap.* 11. *promittimus etiam,* & ibi, Dixi, *& adde quæ notat Gloss. & Ioan. de Immol. in Clem. ad nostrum de censib.* Cauere autem oportet, ne id fiat nisi in casu permisso alias, & censuris, & pœnis legum subiaceret transgressor, prout notatur in *l.* 31. *C. Th. de Episcop. Ecclés. & Cler. in l. si Ecclesiæ, C. de Ep. & Cler. d. For.* 1. *de sacros. Ecclés.* & optime *Bard. ibi, nu.* 37. *& Mier. sup. num.* 6.

Ex quibus etiam elicitur apparitorum, & satellitum imunitas, circa extractionem cadaueris, cum enim omni iure teneantur Superiorum exequi mandata cum dolo faciat, qui non obtẽperat imperio Magistratus, vel domini *l. dolo, ff. de reg. iur.* non tãtum, *vbi quod sibi iubetur, vel non esse contra Dei præceptum, certum est, vel, vtrum sit, certum non est, ita vt fortasse reum faciat Regem iniquitas imperandi*, quæ sunt verba *Augustin. can. quid culpatur* 23. q. 1. & late apud *Tho. Sanchez, ad præcepta Dec. lib. 6. cap.* 3. fit inde, vt idem prosequitur *Augustinus*, obedientem nullis subiacere pœnis, & reluctantem supponi *cap.* 13. 23. *q.* 5. illis verbis: *Miles cum obe-*

obediens potestati, sub qua legitimè cōstitutus est hominem occidit: nulla ciuitatis suę lege reus est homicidij, imò, nisi fecerit reus est imperij deserti, atque contempti; quod si sua sponte, atque auctoritate fecisset, in crimen effusi humani sanguinis incidisset: itaque vnde punitur si fecerit iniussus; inde punietur nisi fecerit iussus, vbi optima *Glos. Doctoresque omnes*; in quam rem ex suâ litteraria penu in excusationem Alguacellorũ, qui adstiterunt extractioni, & damnatũ ad supplicium reducendum curarunt multa cũ doctrina, pietate, & ingenio conscripsit *D. Ioãnes Lope de la Casa*, Canonicus S. Metropol. Ecclesiæ Cæsa. eiusdemque sacrarũ lectio. interpres, vt granum in acervum mittere opus non sit.

Sed, & confugij vice ad sanctorum Præsulũ numina accurrerẽ, & supplex exorarem, si quando apparitores, & familiares laici madente, calenteque maleficio reum insequuntur, incõsulto forsam iustitiæ zelo ingressum Ecclesiam capiunt, & reuocant; ferant patienter, si quid extra mentem acciderit, quod, nec satis loci cũ sanctitate, & iure cõueniat, nam iurisdictionis cõtentione ad Arbitrum itur, qui re perspecta, vtrique suum tribuere debet: itaque, nec statim insurgant spirituali gladio, dum impatiens sensus est protinus ad primam legationem arma mouere; sua vtantur benignitate, ne defervescat in hisce, nec semper prudentibus executoribus calor, & amor iustitiæ ipsis laicis Magistratibus iniuriæ vindictã remittãt gloriã, sibi remissionis, quę pulchra est vltio, cõquirãt quemadmodũ vtrisque commonetur in *l. si quis in hoc genus 31. C. Th. de Ep. Eccl. & Cle.* illic: *Nec expectet* (Prouinciæ moderator) *vt Episcopus iniuriæ propriæ vltionẽ deposcat, cui sanctitas ignoscendi soli gloriam dereliquit*, nec aliqua carebũt excusatione; nam, vt in quæstionibus latronũ statuitur in *l. Prouinciarũ, C. de ferijs: Facillime, & in hoc summi Numinis speretur venia per quod multorum salus, & incolumitas procuratur. l. 11. §. 4. ff. de ijs qui notantur*. hinc circa subditorum culpas humanissima intercessione vti suadẽtur defensores Ecclesię, in *l. præsenti, §. sane, C. de ijs, qui ad Eccles.* sic intercessit D. Augustinus pro hæreticis, & presbytericidis circumcellionibus apud Marcellinum Comitem, *cap. Circumcelliones 23. q. 5.* ibi: *Mihi*, inquit, *solicitudo maxima incusa est, ne forte sublimitas tua censeat eos tanta legum seueritate esse plectendos, vt qualia fecerunt talia patiãtur, ideoque his litteris obtestor fidem tuã, vt hoc non facias, nec omnino fieri permittas*, de Diuo quoq; *Ambrosio* intercessionis exemplum refert *Nicephor. lib. 12. cap. 14. Histor. Eccles.* de quibus tum, & Vestaliũ paganorumque Pontificum, vidend. *Langleus otij sem. l. 13. cap. fin. pag. 785. Baron. anno Christ. 348. Nota 25. Ferrerius ad Guid. decis. 121. DD.* in *cap. Nouimus de verb. signific.*

Nec prædictis obest quidquam per *Constitutionem Sanctissi. Pon. Gregorij XIIII.* super immunitate Ecclesiast. anno 1591. multa circa istam materiam sancitaquę videantur, talem extractionem, impedire, ac notanter requiri Præsulis sacri licentiam, notionem, & quibus moralium Scriptorum abundans Schola, talia tantaque exaggerauit in causa, vt in evolvendis, quos ipsi revolvunt lapides vires deficiant, ipsa quoque moles opprimat, à quibus me, quam-

quamprimum expedire arbitratus sum, si vel animadverterim Gregorianam sanctionem, nihil novi disposuisse, sed consuetudines à iure Canonum aberrantes eneruare, ac exterminare, neque vero legitimè inductas voluisse; quemadmodum docuerunt *Zerola in praxi, p. 1. vers. Immunitas, n. 7. Gutierrez can. q. lib. 3. q. 1. in fine, Layman Theol. mor. lib. 4. tr. 9. c. 9. num. 2. Venero exami. Epis. l. 9. c. 37. num. 32. Gambacurta de immu. lib. 5. cap. 8. & laboriosa indagatione Cutellus contra Dianam, cap. 1.*

11 Sane dum isthæc Gregorij Cōstitutio nouum aliquid induxisset, receptum apud nos nō video, cui causam dedisse suspicor longè aliam expediendarum litium formam, consuetudine, foris, ipsoque sumi Præsulis assensu fuisse introductam; priscis namque sæculis exortis contentionibus inter vtriusq; Fori iudices, ijq; in vndosis iurgijs semper errantes nūquam ad pacis portum appellerent, summa Diui Caroli V. gloriosissimi Aragonum Regis prouidentia, huic Reipublicæ morbo obuiam itum, & quibusdam latis legibus ad exemplum Gotolanarum suauissima, tum partium, tū iudicum velut pactione eliguntur contentioni derimendę arbitri, quorum discordiam, tertius à D. Rege creatus Magistratus Ecclesiastica in dignitate cōstitutus, leuato velo, causas fine debito concludit, & terminat; ita, vt nec ad supremum vllum præter Deum Principem recurratur, inde habitus, & dictus Cācellarius: quam quidem praxim Reipublicæ saluberrimam experiētia, quę optima est rerum magistra, commendat, ipsumque Ecclesiasticæ Iurisdictionis supremum Arbitrū de illa sæpius consultū obseruandam reliquisse, multis diplomatis nostri contestantur: quorum seriem recitat *D. R. Sesse de inhib. cap. 9. & decis. 113. D. Ramirez de leg. Regia, cap. 2. num. 11.* Et similis exitus harum contentionum est inCathalonia interCardinalē Cōuenarum Legatum Apostolicum, & iurisdictionemRegiam initus, vt latè *Peguera in practic. cap. 26.* Valentia *D. R. Leonius decis. 154. n. 11.* Sardinia expressissimo indulto litteris exarato, apud *Sesse d. decis. 113.* in calce: atque inde existimo emanasse, quod in his Regnis intelligatur minus recepta: quemadmodū de Portugalia docuit *Portel. in dubijs regularibus, v. Immunitas, num. 7.* & generatim de Hispania, idem *auctor num. 9.* quem refert, & confirmat *P. Diana tract. 1. de immu. resol. 10. & 32. Cutellus de immu. q. 32. n. 21. Porrus in fasciculo rer. crimi. §. captura in respon. Incipit cum supponatur, pag. 442. Fontanella decis. 583. tomo 2. in fine.*

Cum vero fori nostri praxis eadem ferme sit, cum ea, quæ inCathalonia, Valentia, Sardinia seruatur circa modum, & formam instruendi, & terminandi processum multū ad rem erit, quid circa Gregorianam, ibi seruetur referre, ex initio decisionis *Fontanellæ*, ita scribentis: *In Cathalonia nostra extractio reorum ab Ecclesijs, ad quas post commissa delicta, se receperunt quando per officiales sęculares prętenditur delicta esse talia, pro quibus immunitate Ecclesiastica illi non gaudēt, nec gaudere debent, fit, & fieri solet, per eosdē officiales sęculares propria auctoritate nulla petita, nec obtenta à Iudice Ecclesiastico licentia, & facultate, nec ducuntur ad carceres Ecclesiasticos, sed sęculares, donec de his cognoscitur, nec datur aliqua cautio*

tio per Iudicem secularem, nec cognitio est commissa Iudici Ecclesiastico, sed quibusdam arbitris, & suo casu Reuerendo Cancellario, vt tertio, quia hic non est vsu recepta Gregoriana; nec obseruatur ipsa, nec aliæ dispositiones canonicæ de solemnitatibus extractionis, & de Iudice, ad quem spectat cognitio disponentes, cum habeamus quædam in his concordata cum Papa, quæ sunt in viridissima obseruantia, à qua, nec latum quidem vnguẽ recessimus vnquam, nec nũc recedere solemus. Itaq; vel ex præsumptione, qua lex non intelligitur vsu recepta, nisi moribus vtẽtium probata reperiatur, credendum, hãc constitutionem non fuisse admissam, vt ex *cap. 1. de tregua & pace*, docere omnes, ait *Menoch. lib. 2. præs. 12. Socin. jun. cons. 32. n. 44. & 126. n. 25. lib. 3. Rolan. de Lucro dot. q. 99.* quã sententiã sub distinctione admisit *Farin. in fragm. v. lex, nu. 8.* Vbi scilicet non constitit de obseruantia legis statim latæ: & quatenus, hæc assertio contradictores habeat, negat nullus, ex in obseruantia legis, etiam alicuius partis, totam inobseruatam præsumi, vt post *Hyppol. Riminaldum, Tusch. Alder. Mas.* & alios docuit, idem *Farin. sup. nu. 24.* & in puncto *Fontanel d. decis. 583. in fin.*

Vidimus etiam in Regno, Dominum Cancellarium, circa probationes huius articuli cõpetentiæ iurisdictionis, plenam probationem non exquirere, satisque esse, minorem habere, & semiplenam eũ, cui adiudicanda sit iurisdictio, *arg. cap. 1. de homicid. lib. 6.* ac tum, quod secundum Deum iudicat, *Foro 1. tit. de la compet.* quẽadmodum Lusitana praxis seruat *Gamma decis. 179. & 181. Portoles.* noster, *in d. For. 1. num. 41.* & *quæst. 9.* vnde non est curandum de *Riccio*, qui eundem taxat in *praxi aurea, res. 37.* agnoscens tamen Clementẽ VIII. Pontificem Max. nostram praxim confirmasse. Inde, probationes receptas per Iudices laicos, apud arbitros, & D. Cancellarium, admittimus, vt innuit *Portolesius d. q. 9. num. 6. Liber Consilij crim.* apud me, *pag. 229.* & *Nueros in memor. pag. 461.* & fulcit *Riccius in prax. Fori Eccles. decis. 448.* asserens, de hoc stylo non esse mirandum, miratur tamen, qui *Portolesium* impugnat, *Farin. cons. 168.* Vlterius etiam post terminum admittit Cãcellarius probationem, tam testium, quam instrumentorum, apicibus iuris remotis: ex quo secundũ Deum iudicat, vt in *Comp. Emmanuelis de Vera*, cuius praxis, exemplis quoque, & iure, comprobatę meminit *Christophorus de Suelues cons. 10. num. 15. vol. 2.* Vbi, & passim, de quibusdã furibus extractis ab Ecclesia de Aula Dei: at omnia hæc ad decisionem pertinent *Gratian. discep. 694. post n. 48.* Et à Constitutione Gregorij deuiãt: quare, si secũdum eam aliquando iudicatum vidimus, in eo est, quod iuri conveniat: queẽadmodũ intelligi potest *Fontan. sup. num. 26.* minus integre in aduersum conductus; quasi aliud in recto, quã in ritu, vt dicũt, statuendũ sit; dũ, & contra illam iudicatũ referat: ibi. *Sicut apud Nos contingit circa hanc Gregorianam, quam admissam, & secundum eam in aliquibus iudicatum vidi, non tamẽ, quo ad omnia: & signanter, quod attinet ad formam extractionis, & declarationis, & alia quædam.* Suave vero nimis est, Gregorianam sanctionem ad cadavera punitorum porrigere.

Tandem, & pro Mantissã operis ante clarissimorum virorum oculos, ad quos excursus noster forsan perueniet, proponere liceat, Iurisprudentissimorum pla-

citum fuisse, hac alioqui misericordem salutis arā atrocissimis delinquentibus, in dubio non prodesse, quæ, & illorum potius impuritate contaminari videatur, nec impunitate letetur. *Non enim talia delinquentibus parcere conuenit; sed hoc patientibus, vt non talia à præsumptoribus patiantur.* Docet *Iustinianus, in Auth. de Mand. Prin. § neque*, adstipulatur *Philo lib. de special leg. pag. mihi* 543. de homicidis asylo non excipiendis, & inquit. *Sed, & qui nil non conātur clamque palamque, vt interficiant etiā si non perpetrauerint facinus; quod si metu, vel audacia, vitijs contrarijs, in templum irruere tentauerint, impunitatis inueniendæ gratia, probibendi sunt; sin autē iam subrepserunt, dedendi sunt ad supplicium cum hoc præconio: hominibus nefarijs, in fano ius asyli non deberi:* & in hanc sententiam, adeundi *D. Couar. Clarus, Farin. Decianus*, & alij apud *Bouad. lib.* 2. *Pol. c.* 14. *n.* 93 & in Regno *Barda. ad For. de im. Eccl. n.* 4. Quod si alicubi gentiū immunitas restringēda venit, maxime apud Aragones, qui liberioribus legibus vtuntur: quemadmodum ex Regni Procuratorum epistola, super Compilatione Fororum transmissa ad Serenissimum Principem Philippum, liquido satis comprobatur; dum enim illorum libertatem cū æquitate coniungit, ita prosequitur. *Confiscationes, bonorumque publicationes eadem seueritate fiscū, & ærarium cohibent. Crimina componi pecunia, dum detestantur: id efficiunt, ne Magistratuum cupiditate subditi euiscerentur. Dum arcēt torturas, & quæstiones: id cauent, ne insontes earum metu perterriti, absque crimine lacerentur. Iam, quod inquisitiones ex officio Iudicis probibent: nonne id efficitur, ne indicum malitia innocentes concutiantur, aut infamia notentur? Cum de manu iudicis absq; legitimæ partis instantia, quei clam non admittunt, quid aliud quam Sacri Euangelij sequuntur doctrinam, dicente Domino. Mulier, vbi sunt, qui te accusabant? Laudāda est igitur huiusmodi legis æquitas, extollenda Conditorum Principum clementia, & subditorum modestia commendanda.* Quibus, cum Iurisfirmarum, Manifestationis, alijsque præsidijs liberioribus Foris Aragones, præter cæteras Nationes potiri, iure sensit *Surita lib.* 5. *annal. cap.* 17. *in fine*, & Illustrissimus Dominus D. *Martinus Baptista de Lanuza*, Iure madens, varioq; togæ limatus in vsu, Geniū amplissimū Iustitiæ Aragonum, apud *Emmanuelem de Faria, & Sousa*, eius vitam viuā describentem *lib.* 2. *c.* 2.

Cæterum, ne nimium à cepto divagemur, vel ex eo restringēdæ sunt immunitates, & libertates; ne ex superaddita asylorum securitate, scelerum malitia turgescat, & societas bene moratæ Reipublicæ detrimentum patiatur: cuius rei causa Summus Ecclesiæ Præsul Sixtus V. æternæ memoriæ, singulare quodam priuilegiū, Philippi Regis, ac D. N. precibus inclinatus indulsit: quod in confirmationem nostri argumēti, & in gratiam boni publici, ac Bannitorū, & Grassatorū exterminiū (quibus fures, ac latrones *diaboli mēbra, c.* 13. *c. fi. q.* 2. meritò adnumeramus) aureis litteris cōscribendum vellē. *SIXTVS PAPA V. Ad futuram rei memoriam. Cū Banniti, ac viarum Grassatores tāto diligentius inquirendi, & severius puniendi sint, quanto manifestius cognoscitur, quod ex eis scandala, & mala plurima subsequuntur; &, vt ad notitiam nostram nuper*